

Absoluta sacrarum reliquiarum et altarium visitatione idem Ill/mus Card. Archiep. visitator qui supra, cepit chorum visitare qui nuper de mandato eiusdem Ill/mi cardinalis a medio ecclesiae, ubi antea fuerat, ad tribunam altaris maioris magno cum plausu cleri populi que Capuani translatus fuerat. Invenit autem [canonicos, qui in choro divina officia celebrant esse quadraginta, decem presbyteros, connumeratis archiepiscopo, decano et primiceriis, decem diaconos, connumerato archidiacono, et viginti subdiaconos; ex quibus decem presbyteros et decem diaconos integras distributiones percipere ex antiqua consuetudine invenit; viginti autem subdiaconos, dimidiatas. Et quoniam parum decere] animadvertit, et sacro concilio Tridentino sess. XXIV cap. 12 contrarium esse vidit, ut in tam insigni ecclesia saltem dimidia pars canonicatum (canonicorum) ordinem sacerdotalem non haberet annexum, ideo communicato consilio cum venerabili capitulo et cum Ill/mo et R/mo Praeside congregationis cardinalium super declaratione concilii Trid. statuit decem presbyteris alios decem esse addendos. Itaque praefatus Ill/mus Card. Archiep. visitator auctoritate conc. Trid. et quocumque alio meliori et validiori modo quo de jure potuit, decrevit ut deinceps omnes viginti canonicatus, qui integras distributiones percipiunt, ordinem presbyterii habeant annexum, prout de facto eis praesenti decreto annexum, ita ut in posterum viginti sint canonici presbyteri, comprehensis in hoc numero Archiepiscopo, Archidiacono et Primiceriis. Quia vero ex hoc decreto fiebat, ut omnes antiqui diaconi ad ordinem presbyterii eveherentur, idem Card. Archiepiscopus visitator eadem auctoritate statuit, ut ex viginti subdiaconis decem subdiaconi qui actu deserviunt, ad ordinem diaconalem ascenderent, prout de facto ascendere facit praesenti decreto, ita ut in posterum decem sint diaconi, et totidem subdiaconi; praecipiens ut omnes tam diaconi ad presbyteratum assumpti, quam subdiaconi ad diaconatum eVecti, qui forte carent ordine presbyterii vel diaconatus, infra sex menses eum suscipere teneantur ut canonicatui suo iuridice annexum. Ceterum quia in praesenti ex diuturna consuetudine duo primicerii et sex presbyteri antiquiores proventus quosdam peculiare habent nuncupatos mensam sacerdotalem, sive cappellas, qui non communicantur cum reliquo capitulo, idem cardinalis Archiep. qui supra, declarat se non intendere per hoc decretum sex presbyteris et duobus primiceriis [ullum praejudicium facere (inferre), quominus

possint ipsi soli, quoad vixerint, emolumenta praedicta percipere; decernit tamen, ut cum aliquem ex praedictis octo presbyteris de vita migrare contigerit, illius portio non soli successori attribuat, sed inter omnes novos presbyteros, ipso (et) successore connumerato aequaliter dividatur, ita ut cum omnes illi octo qui nunc supersunt, decesserint, mensa sacerdotalis omnibus sacerdotibus sit communis.]

Praeterea declarat presbyteros novos posse quidem, si velint, in summo altari tamquam hebdomadarios sacrum facere, sed non esse cogendos, si nolint, quamdiu non participant (percipiant) emolumenta ceterorum, (donec alias decernetur). Hortatur etiam omnes presbyteros ut quam frequentissime in ecclesia cathedrali missas ex devotione celebrent, ut ostendant se non in vacuum tam excellentem sacerdotii gradum (gratiam) percepisse. Postremo declarat omnes presbyteros, tam veteres quam novos, posse optare praebendas quae olim erant presbyterales vel diaconales, quae quidem nunc sunt omnes presbyterales; similiter diaconos posse optare (eas tantum) praebendas quae nunc sunt diaconales, et subdiaconos eas quae nunc sunt (remanserunt) subdiaconales. (Hoc supradictum decretum fuit registratum in libro visitationum die 21 Maii 1603)

Hoc decretum certis quibusdam de causis non fuit uno tempore executioni mandatum: primum enim de mense Octobri 1602 ascenderunt ad ordinem presbyterii per electionem capituli, ipso card. Archiep. approbante, quatuor diaconi: Ioannes Dominicus Ruffus, Pompeius Gargilianus, Io. Nicolaus Mirtus, et Aemilius Carosius, quibus additus fuit Benedictus de Dominico, quia Paenitentiarius erat, quamvis subdiaconus; ^{et} ad ordinem diaconatus ascenderunt per electionem eisdem Capituli, eodem Card. Archiep. similiter approbante, duo subdiaconi, Dominicus Riccius, et Hieronymus Pera: deinde de mense Februarii 1603, ascenderunt ad ordinem presbyterii archidiaconus Antonius Angelottus, et diaconi Io. Paulus Imbrianus, Bernardinus Isa, Vincentius de Angelis, Franciscus Maccarus, et Camillus de Nuce; eodem tempore ascenderunt ad ordinem diaconatus sequentes subdiaconi: Pompeius Pizza, Ascanius Majorellus, Scipio de Troja, Alexander Campagna, Petrus Antonius Natalis, Io. Thomas Landolphus, Flaminius Saltillus, et Vincentius Capuanus. Porro Hector Jorius, qui erat antiquissimus subdiaconus non ascendit ad diaconatum, quia actu non serviebat.

Circa hoc decretum suborta est dubitatio: utrum in sedendo in choro, et in Capitulo, et in optandis praebendis, deberent praecedere, qui prius ascenderant ad ordinem superiorem, an qui erant antiquio-

res canonici, et compromisso facto in Archiepiscopum Alvernum vi-
rum doctissimum, Romae degentem, declaratum est, tam in sedendo &
in choro, et Capitulo, quam in optandis praebendis praecedere de-
bere eos, qui prius ascenderant ad ordinem superiorem.

Haec omnia ita gesta esse, atque ita se habere, fidem facio ad
futuram rei memoriam Ego idem Robertus Cardinalis Bellarminus Ar-
chiepiscopus Capuae die 14 Maii 1603.

Rob. Card. Bellarminus Archiep/s Capuae.

(Capuana)
Visitatio 1602, fol. 1=2 ; Conclus. capitulari 1601=1620 f. 47 (où
3? manquent les passages mis entre []

F. Granata, Storia sacra.....di Capua, t. II, Append. p. 173=6. (les
passages entre () indiquent les divergences.)

18 Juin 1603, L. Card. Robert Bellarminus

cf. supra p. 249 et. de la même
même position